DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ERYSIPELATE.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
ERYSIPELATE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL MILLAR,

Hibernus.

"Cum hæc per multa volumina, perque magnæ contentionis disputationes, a medicis sæpe tractata sint, atque tractentur: subjiciendum est, quæ proxima vero videri possint, neque addicta alterutri opinioni neque ab utraque nimium abhorrentia, sed media quodammodo inter diversas sententias." CELSUS in Præfatione.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

ASTLEY PASTON COOPER, BARONETTO,

SOCIETATIS REGIÆ LONDINENSIS SOCIO,

AMPLISSIMIQUE REGIS MAGNÆ BRITANNIÆ

ET HIBERNIÆ GEORGII IV^{TI}

CHIRURGO,

&c. &c. &c.

QUI MUNIFICENTIA SUA INSIGNI,

MORUM ELEGANTIA, ET CHIRURGIÆ NOTITIA,

CUJUS DECUS EST ET ORNAMENTUM,

PROFUNDA AB OMNIBUS MERITO ÆSTIMATUR,

HANC DISSERTATIONEM,

AUCTOR

REVERENTIA MAXIMA

D. C.QUE.

NECNON,

BENJAMINI TRAVERS, ARMIGERO,

SOCIETATIS REGIÆ LONDINENSIS SOCIO,

ET SANCTI THOMÆ NOSOCOMII

CHIRURGO SENIORI,

&c. &c. &c.

VIRO

NON MAGIS INGENIO FELICISSIMO, OMNIBUSQUE

VIRTUTIBUS PUBLICIS AC PRIVATIS QUÆ HOMINEM

EXORNENT, QUAM OMNIUM LITERARUM

SCIENTIA PRÆCIPUEQUÈ ARTIS CHIRURGICÆ,

CONSPICUO,

HANC DISSERTATIONEM,

ANIMI MONUMENTUM HAUD IMMEMORIS

BENEFICII RECEPTI,

AUCTOR

SUMMA CUM OBSERVANTIA

D. D. C.QUE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ERYSIPELATE.

Samuele Millar Auctore.

Pars corporis humani nulla, tam multis variisque admodum morbis quam cutis obnoxia est. Horum alii semel tantum in decursu vitæ, alii vero frequentissime oboriri ex causis minimis consuerunt. Curriculum, præterea, singuli tenent proprium, et aliquando summum vitæ periculum afferunt, vel deformitatem, quam ob rem multam istis medici antiqui et recentiores adhibuerunt curam. Eorum attamen natura vera parum cognita esset, donec Willan huic rei animum in-

tendit. Nec labor vanus futilisque evasit; in libro, enim, ab eo conscripto omnes fere hujusmodi morbos clarissime exposuit. Quanquam, autem, iis plurimam dedisset operam nonnulli nihilominus, quorum de natura curationibusque adhuc multum disceptatur, restant. Inter illos Erysipelas enumerari potest, morbus sine dubio acerrimus. Ut igitur de hoc agere decrevi, causas et signa quibus dignoscatur modumque medendi optimum, quantum mea in potestate erit, indicabo.

DE MORBI HISTORIA.

Erysipelas, uti appellatur, cutis vitium est ubique tendens, sanescente ea parte quæ prima occupata esset. Inde fit nomen, ex vocabulis duobus Græcis, ερυς *prope*, scilicet, et πελας *vicina*, deductum. Cullen*, in hac alma Academia nuper medicinæ Professor clarissimus, duas species, Vesiculosam et Phlyctænodæam, constituit: Willan†, e contrario, quatuor; Phlegmonodæam,

* Vide Nosologiam, class. i. ord. 3. gen. 30.

† Willan's Synopsis of Cutaneous Diseases.

Œdematodæam, Gangrænosam et Erraticam. Sed magis ad usum pertinebit, si illud nunc Synocha nunc Typho comitatum consideremus. Et huic opinioni CULLEN illustrissimum non inimicum esse gaudeo, qui observationem sequentem Nosologiæ addidit :—" Notandum est, Erysipelas sæpe aliquid putridæ et gangrænosæ indolis præ se ferre; nec dubito, quin Erysipelas, quod in hac regione plerumque diathesi phlogistica comitatur, aliquando, præsertim in regionibus calidioribus, cum diathesi putrida adsit; et forsitan duas species Erysipelatis, inflammatoriam nempe et putridam, indicare potuissemus *." Hujusmodi verbis ab eo definitur: " Synocha duorum vel trium dierum, plerumque cum somnolentia, sæpe cum delirio; Erysipelas (vesiculosum) erythemate, rubedine serpente, latum spatium occupante et locis ejus quibusdam in vesiculas magnas abeunte †." Speciem secundam memoratam præterire volui, quandoquidem inter Eruptiones Herpeticas annumeratur. Hic morbus modo celeriter modo

* Dr CULLEN's Nosology, edited by Dr THOMSON, p. 68.

† Vide Nosologiam, class. i. ord. 3. gen. 30.

ægrum lente invadit. Maxima ex parte tamen anxietate, lassitudine, languore, aliisque succedentis pyrexiæ signis, incipit. Dein superveniunt animus confusus, dolor capitis et oculorum vehementissimus, et vertigo, cum horroribus, spiritu difficili omnisque exercitationis odio. Nec desunt interea, febre jam confirmata, stomachi indicia laborantis, qualia sunt nausea, potionis cibique fastidium, vomitus, et singultus, quæ per totum morbi curriculum ingravescentia multam medico molestiam afferunt. Et jam magis corpus calet, lingua alba aut fusca inarescit, urina parca vel decolor tenuisque fertur, et alvi dejectiones vel ex toto supprimuntur, vel minus plenæ fœtidioresque descendunt. Non multo post, sæpissimeque sub ipso initio, delirium ferox aut sopor additur. Quæ cum per biduum triduumve ita sint, color, maculis, quæ protinus coëunt, minimis, subrubicundus, ex capitis latere, si id vitiatum esset, vel ut aliqui putarunt prope nares, subito erumpit. Hic partes primum correptas relinquens, longe lateque serpit, adeo ut demum oculi præ tumore qui semper adest, claudantur. Necnon glandulæ submaxillares et parotideæ afficiuntur, fauces etiam sunt aridæ, et dolor

pruriginosus, instar ejus qui ustioni subest, insequitur. Post hæc, intra diem quintum vel paullo serius, vesiculæ humorem acrem subflavum vel semipellucidum continentes provenire solent. Sed non diutissime durant; humore, enim, brevi tempore, effuso, in ulcera quibus curatio difficilis est, desinunt, superimpositas habentia crustas. In aliis partis inflammatæ locis cuticula in squamulas subalbidas abit. Pus etiam malum pessimique odoris et cum sanguine commistum, aliquando sub imis oculorum palpebris, sæpius in extremis, reperietur. His factis, omnia signa protinus, quibus corpus tentatum esset, mitiora fiunt. Febris, dolore et rubore minuentibus, subsidit; cordis arteriarumque motus lentiores eveniunt; et cum rei alimentariæ desiderio, æger ad integritatem revertitur. Sin autem remissio post inflammationem apparentem nulla sit, simul atque delirium ingravescat, tum eum moriturum esse pertimescendum est.

Hactenus indicia quibus hoc malum cum Synocha comitante cognosci potest, posui; nunc, ad ea quæ ad alteram speciem pertinent, transitus est. Omnia itaque in hujusmodi casu, præcipue in navibus et oppidis magnis occurrente, quæ Ty-

phum adesse denunciant, signa oriuntur. Hæc sunt, pulsus debilis aut intermittens, virium præter consuetudinem prostratio, et coma, quod ex initio subiens, usque ad finem perductum est. Conditio stomachi fere in hac eadem est ac in altera; sed lingua fusca redditur aut nigra, dentesque livent. Gangræna in partibus exulceratis, magnum periculum afferens, sæpe se ostendit.

Erysipelas evanescens partes aliquando intimas aggreditur, cujus rei multa quisque in monumentis medicorum invenire exemplaria possit. Causa hujus metastaseos, pyrexia ingenti, dyspnœa, vertigine et dolore intolerabili notatæ, non semper patet, sed ex frigore vel debilitate, vel remediis, ni fallor, ipsis admotis, contrahi videtur. Quocunque modo res se habeat, eo tempore quo signa supra dicta apparuerint, summam præstare oportebit curam.

Quorundam morborum quoque crisis est, quam rem non hic illustrare cupio, complures enim hujusmodi casus apud omnes de re medica scribentes facile reperientur.

Aliquando corpus adeo emendat, si verbo uti liceat, ut optimum a doctrinæ STAHLIANÆ assectatoribus vis medicatricis naturæ diceretur ex-

emplum. Hoc casus insequens bene comprobat. Vir quidam, in Sancti Thomæ Nosocomio, sub cura Domini CHANDLER, nuper defuncti, (qui procul dubio chirurgus erat spectatissimus), receptus, ulcus in talum habuit magnum, cui facies subflava et inæqualis, humor multus acris tenuisque profluens, oræ lividæ et eversæ, cum dolore vehementi, et rubore Erythemati simillimo. Huic sunt, externe atque interne, medicamina, quæ simul emolliunt vel dolorem mitigant, vel reprimunt vel astringunt, omnia denique quæ prodesse experientia docuit aut ingenium institueret, diligenter, sed sine commodo, admota. Tandem in facie comparuit Erysipelas, quod diu mansit gravissimum. Cum autem abiit, ulcus rebus simplicissimis sanatum est, viresque suas æger cito recuperavit.

DE SECTIONE CADAVERIS.

IN sectione cadaveris, cerebrum subinde vel ejus membranas vel pleuram vel intestina inflammata possumus offendere, et BONETUS* se ob-

* Vide BONETI Opera.

servasse "pleuram et duram matrem pustulis impletas, humorem crassiusculum continentibus, sebo non absimilem," memoriæ prodidit. Tela itidem cellulosa emortua, et pus, non subter cutem modo sed etiam inter imos musculos, magna copia inveniuntur.

DE CAUSIS.

Causas prædisponentes nemo omnes potest resciscere. Apparet tamen nullas terrarum orbis esse regiones quibus nunquam oriatur Erysipelas: hoc autem magis fit in calidioribus, præcipueque vere et autumno. Quidam affirmant inflammationem, podagram vel febrem puerperarum sequentem, nihil aliud quam hoc vitium esse; alii id posse ex parentibus deduci contendunt. Corpora senilia inter quadragesimum et sexagesimum ætatis annum maxime exercet, necnon infantes hora natali. Mulieres etiam, eæque præsertim quibus male menstrua respondent, opportuniores fiunt. Omnia insuper, sicut venus immodica, pathemata mentis violenta, studium intensum, exhalatio per cutem obstructa, alvi exinanitio, aër stagnans et

contaminatus qui sæpe in pauperum tabernis oritur, debilitatem gignunt, et recte inter tales causas enumerari queant. Isti denique quicunque semel sub hoc malo vel scorbuto laboravit, majorem, inter omnes constat, esse proclivitatem.

Causæ excitantes sub quatuor capitibus continentur. Primo, *Organorum vitia chylo-pöeticorum comprehensa sunt.* Apud veteres hæc causa frequentissima habita est, cui quidem sententiæ ex recentioribus non pauci accesserunt. Enimvero vomitus, nausea et alia stomachi vitiosi signa quæ nonnunquam antecedere solent, documenta satis valida præstare videntur. Secundo, *Res aliquæ in ventriculum ingestæ.* Res hoc modo malum producentes longe diversæ sunt, velut pisces præcipueque conchulæ et varia fructuum genera. Primum, ex his fructibus, locum tenent nuces amygdalæ etiamque oryza. Neque hoc mirum est, cum sane admirabile inter ventriculum et omnes alias corporis partes maximeque cutem consortium in animo versamus, cujus in probatione diarrhœa, perspiratione obstructa, excitata adducta esset. Diaphoresis etiam ex sorbitionibus frigidis acceptis ; Dyspepsia ex Leucorrhœa, si inveteraverit ; et Oculorum Caligo ex morbis he-

paticis, eodem modo cieri consuerunt. Et Dr HOME, Praxeos Medicinæ Professor eruditissimus et indefatigabilis, duas virgines ex eadem familia, quandocunque nuces aliquas edissent communes, semper morbo scarlatinæ simili occupatas esse, retulit in prælectionibus de Medicina Clinica. Hæc ad eundem consensum comprobandum afferentur. Tertio, *Res acres extrinsecus applicatæ.* Omnia sub hoc capite venena, ex regno fossili aut vegetabili aut animali comparata, etiam lanulam, prout WISEMAN præcepit, et æstus immodicos et nimia frigora, ponere debemus. Vulnera præterea addenda sunt, quibus si exoriretur, morbus symptomaticus vocatur. Parum abest quin tota cutis vasis stimulandis operantur. Quarto, *Contagium.* Non omnes hanc causam esse credunt, etsi in voluminibus practicis frequens de ea mentio facta est. Dr WELLS *, non mediocri vir ingenio plurimos in suam cognitionem pervenisse casus quibus hæc esse origo videbatur, asseruit. Dr HUTCHINSON †, Erysipelas quoque habuit

* See Transactions of a Society for the Improvement of Medical and Chirurgical Knowledge, vol. ii. art. 17.

† See Medico-Chirurgical Transact., vol. v. p. 278.

contagiosum, quia quendam hominem in conclavi quo multi eo laborantes decubuerunt, vidit occupatum. Istic patiens ad id usque temporis immunis esset. Paucis etiam abhinc annis, Nosocomio Regali Edinburgensi, apparuit hic morbus forma contagiosa. Ex mea parte, neminem, Erysipelas nisi Typho nuptum, censeo inficere.

Causa proxima non facile intelligitur. Græci, philosophiam Pythagoræam secuti, quatuor esse humores putarunt, quibus varii solebant exoriri tumores: et ita ex eorum sententia, sanguis phlegmoni dedit originem, et humor biliosus Erysipelati. Hanc opinionem postea GALENUS recepit, neque LA MOTTE, quanquam plurimas de ea in libro suo edidit observationes et utilissimas, penitus repudiavit. Quidam certarunt totum malum ex sanguinis tenuitate, vel ex sanguine et bili flava commistis, excitatum esse; alii dixerunt ut ipsius eædem quæ inflammationum omnium reliquarum causæ fuerint; et CULLEN, denique, acrem inter eas materiem in corpore generatam constituit. Mihi autem morbus sui generis esse videtur, statu corporis peculiari pendens. Nec sedes propria in membrana adiposa primum, sed in reti mucoso et cute vera quærenda est. Quæ ad symptomata

attinent, ruborem ex sanguine in summæ cutis vasis nimio; dolorem ex sensu nervorum aucto, et forsitan ex rebus fluidis eos prementibus; et inflationem ex humoribus congestis, procedere apparet. Quare autem transiret, et quam ob rem caput toties teneret? Quia primum nulla lympha sanguinis, qualis in phlegmone, prorumpit, deinde sanguis in hanc partem majori copia mittitur, quæ novissime magis cœli vicissitudinibus exponitur.

DE DIAGNOSI.

Sunt duo morbi tantum, nempe Phlegmon et Erythema, ex quibus nos Erysipelas discernere oportebit. In illo tumor nunquam planus extat, sed in fastigium elevatur; rubor vividus sine aspectu flavo pedetentim diffunditur; et dolor magis pulsans quam pruriginosus. In hoc autem neque tumorem neque vesiculas neque coma spectare possimus. Deest quoque pyrexia, saltem vehemens. Porro, vitium adesse de quo nunc scribo, si ambulet, aut viscera per metastasin obsideat, aut a contagio trahat originem, certiores facti sumus.

DE PROGNOSI.

Quum de eventu judicamus, considerare ætatem et ægroti habitus, et causam quæ primum morbum induxit, et spatium temporis ex quo ægrum corripuit, et remediorum effectus, opus erit. Situs etiam notatu est dignissimus, nam si caput laboraverit in discrimine posita est vita. Hoc olim Celsus * annotavit, his verbis. "Id autem quod ἐρυσίπελας vocari dixi, non solum vulneri supervenire, sed sine hoc quoque oriri consuevit: atque interdum periculum magnum adfert; utique si circa cervicem aut caput constitit." Signa tamen quæ nos metu terreant, sunt pyrexia typhodes, pulsus debilis et intermittens, imbecillitas vel magna vel longa, partium inflammatio aut gangræna serpens, et metastasis. Frequentissimeque coma aut delirium inter initia suboriens, si non post vesicularum eruptionem conquiescens magis magisque intendatur, interitus periculum manifestat. Contra vero si partes extremæ solummodo sunt affectæ, si mens constat,

---

* Vide Celsi Op. Lib. v. cap. 26.

si somnus parum interpellatur, si febris synocha cum pulsu æquali nec duro; dein exitum felicem proponere audeamus.

DE MEDENDI RATIONE.

Hoc malo curando febrem comitantem scire imprimis necessarium est. Quæ si synocha sit viresque patiantur, sanguinem ad uncias duodecim vel viginti ex brachio detrahere convenit. Eadem adhibita ratione, bis, ter sæpiusve repetatur, at semper accuratissime claudenda est incisura brachiumque deligandum. Missus in quibusdam casibus longissime, et in uno quem a Doctore Home audivi memoratum, ad uncias *septuaginta* sine intermissione, sanguis est. Post hæc æger celeriter convalescere incepit, et paucos post dies ex Nosocomio Edinensi *Queensberry-house* vulgo nominato, quo receptus esset, abiit sanatus. Dr Duncan junior Materiæ Medicæ Professor excellentissimus, plurimos etiam casus in medium protulit, quorum in curatione sanguinis detractionem sæpe usurpavit. In omnibus effectus edidit salutares, imo, unicum fortassis esset reme-

dium *. Nonnulli præter venam brachii, eam quoque cervicis JUGULAREM EXTERNAM appellatam arbitrantur aperiendam; vel cucurbitulas cruentas, vel saltem hirudines parti dolenti esse applicandas. Neque ignoro, quod cutem ipsam vitiatam fasciamque subjacentem usque ad musculos, nos altis plagis incidere plurimis mandavit Dr HUTCHINSON †, qui hoc modo complures in sanitatem restituit. At omnes hos sanguinis emittendi modos non bene possum commendare; quia non tantum ex vulneribus ipsis morbo origo est, sed sæpe nascitur gangræna. Post venæsectionem ad medicamenta emetica, præsertim si stomachus tentetur, vel nimia bilis copia videatur, decurrendum est; horumque optimum tartras antimonii. Hoc medicamen DEASE, inclytus in Eblana Chirurgus, qui primus illud in hujus morbi curationem introduxit, magnopere in Prælectionibus de Re Chirurgica commendavit, et auditores suos talibus præstare portionibus quales ad vomitionem concitandam, deinde ad alvi ductionem, sunt commodissimæ, edocuit. Quinetiam

* Vide Ed. Med. and Surg. Journal, vol. xvii. p. 537.

† Vide Med. Chir. Trans. vol. v. p. 278.

feliciter in Gallia DESAULT *, in ea quam speciem *Biliosam* nuncupavit, præbuit, aliique plurimi medici et chirurgi; qua causa, præ aliis, opinor anteferendum esse. Ejus dosis multum variat: ubi enim ventriculum evacuare in desiderio est, granum unum in aliquo vehiculo idoneo solutum, quaque sexta horæ parte admovere oportet; ubi purgare, grani partem octavam secunda quaque hora; ubi sudare, eandem quantitatem sexta quaque hora.

Cinchonam, Opium, aliasque res expediet, si unquam signa mali in decursu propria hortarentur, adjungere. His factis, non alienum erit ventrem bene exinanire; ne autem debilitas subiret, ut ait PEARSON †, probe caveamus; ideoque, Manna, Oleum Ricini, Sulphas Magnesiæ, Sulphas Sodæ, Phosphas Sodæ, vel alii sales medii, maxime sunt apti. Nonnunquam purgantibus acrioribus, veluti Gummi-resina Convolvuli Scammoniæ, Submuriate Hydrargyri, et Pilula Colocynthidis Composita, oportet uti; et hæc magis petenda sunt, si propter in eo retenta scybala venter difficulter redditur.

* Vide Oeuvres de DESAULT par BICHAT, tom. ii. p. 588.

† Vide PEARSON's Principles of Surgery, cap. x.

Prosunt etiam quæcunque sudorem leniter eliciunt; nil autem magis quam haustus effervescentes, qui non tam sitim ardentem quam nauseam ex quibus multam tulit patiens ægritudinem, supprimunt. Eademque causa recte semicupium aliqui præcipiunt. Adjuvant aliquando medicamenta anodyna. Præter ea quæ supra comprehensa sunt, diæta tenuis et ex rebus vegetabilibus confecta esse debet, et caput lecto sublime. Vitare quoque omne irritamentum haud ineptum erit. Denique regimine antiphlogistico plus minusve rigido pro re nata uti conamur.

Alia autem in altera specie requiritur medendi ratio; huic enim nec sanguinis detractio nec evacuationes nimiæ opitulentur; imo nonnunquam spem vitæ tollunt. His in memoria habitis, ad duo semper spectandum est; nimirum, signa graviora sublevanda viresque refovendas. Nauseam ergo sitimque diluentibus depellere, et alvum leniter oppido expurgare, convenit. Deinceps in corporibus roborantibus atque stimulantibus præsidium est, qualia sunt Radix Aristolochiæ Serpentariæ, Cinchona, Vinum, Electuarium Aromaticum, Opium, et Ammonia; quæ non modo per se recte dantur, sed mista, unde major vis

eorum esset. Enemata ex cinchona præparata apte in ea specie immittuntur in alvum quam *Infantilem* medici appellant. Præterea per omne tempus in conclavi quam maxime spatioso et ventilato vivendum est; assumendi cibi faciles et nutrientes, mundities observanda, et omnibus quæ solatium afferunt animo attendere necesse est.

In hoc malo profluit interdum sanguis; quo casu, corpus, medicamenta esse debent, quæ confirmant et astringunt.

Nunc ad externas applicationes, ab omni ævo laudatas, ventum est. Harum pleræque vel prorsus inutiles sunt vel pestiferæ; quædam non sine fructu notabili apponuntur. Circumspecti igitur hominis est, ne errore capiatur, diligenter statum partium observare, quo facto, remedia proferre propria in manu erit. Sic inter initia juvat lintea Liquore Plumbi Acetatis vel Aqua Acetatis Ammoniæ madefacta in partes dare affectas, ut dolorem cruciantem aliquantulum leniant. Hæc, donec inflammatio se penitus remisit, usurpare possimus; deinde ex vesiculis jam ruptis humorem lavare effluentem cum aqua tepida est optimum, cui, prout velis, lactis sit paullum adjectum. Quibusdam Tincturam Camphoræ delec-

tat applicare, et lotionem cum opio paratam aliis: in iis casibus quibus facies occupata est, superimposita cervici dummodo sit integra, emplastra vesicatoria valent. Sed nocent fomenta calida et unguenta, nec ullum mihi in Calcis Carbonate vel amyli pulvere vel farina auxilium esse videtur. Sin autem ullo tempore sit orta suppuratio, dein cataplasmata commode imponuntur ex aqua et farina vel lini contuso semine constantia; quibus cerevisiæ fæcis paullum immitteretur. Nec etsi pus, demisso ferramento, exeat, hæc submoveri debent, donec ulcus purgatum est; exinde, lotionis cum Argenti Nitrate, Cupri Sulphate, Hydrargyri Submuriate, vel rebus acidis factæ, usus necessarius est. Magni etiam interest, ne hoc malum reverteretur, quod sæpe evenit, ægrum in refectione cibos capere aptissimos, et pathemata mentis violenta sedulo evitare.

DE SEQUELIS.

Erysipelas, haud aliter quam Scarlatinam Anasarca, sequuntur alii morbi, quorum sunt præcipui Œdema et Necrosis. In illo inter telam cel-

lulosam contrahitur humoris nimia abundantia, cum totius corporis, maximeque vasorum lymphaticorum magna laxitate conjuncta, quæ non sine magna mole, ut aiunt CELSUS, PEARSON, aliique auctores boni, discutitur. Interdum autem proficiunt medicamenta, si ea quæ corpus roborant et tonum partium solidarum amissum reficiunt, cum fasciis arcte circa membra involutis et fricatione præscribantur. In hoc, qui perrarus est, moriuntur ossa, atque paulo post per vires naturæ separantur. Omnis medicina in hac re, cui nomen Exfoliatio inditur, inanis est; semper enim plus prodest tempus quam medicus. Sed quoniam inter morbos chirurgicos hoc vitium enumeratur, plura de eo dicere supervacaneum esset; neque in mea potestate erit aliquid hoc loco de ea specie Erysipelatis proferre, quam medici Symptomaticam appellant.

Hac dissertatione jam demum ad finem perducta, nihil fere amplius iis quæ supra proposui addendum est. Non tamen alienum erit animadvertere, ut nos omnes summa ope niti debeamus, ne remedia vana aut lædentia adhibeantur. Atque hoc magis necessarium est, propterea quod

nunc primo impetu lenis synocha est, nunc vero gravissima, quæ versus finem in typhum degenerat. Non decepti erimus si ægroti habitus vitæque ordinem et morbos quibus ante tentatus esset, intelligamus. Quæ cum facta sint, dein medendi modum facilius instituere possimus efficacem simul atque rationalem.—Et hîc verba CICERONIS propria sunt Romanorum Principis Oratorum sequentia; "PRÆSTAT NATURÆ VOCE DOCERI QUAM INGENIO SUO SAPERE."

FINIS.